

Hermann Heltberg   Laurentius Erixi


## **Exercitationum Logicarum XVI & Ultima. De Sophisticis Elenchis, Cui Doctrina Methodi & ordinis appendicis loco adiungitur**

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729116506>

Druck   Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





Annunte & Benedicente Domino  
Exercitationum Logicarum  
XVI. & Ultima.

DE SOPHISTICIS  
ELENCHIS, CUI DOCTRINA  
Methodi & ordinis appendicis  
loco adjungitur.

*Cujus positiones  
In frequenti & celebri Academia Rostochiensium  
Sub Prasidio*

M. HERMANNI HELTBERGII  
Walfrodensis Saxonis.

*placide examinandas offert*

LAVRENTIVS ERICI  
*Suecus.*

Ad diem XXI. Aprilis, Horisq;  
locoq; solitis.

RostochI

*Typis Myliandrinis, Anno cId IsC X.*

*Reverendo & Clarissimo Viro,*

DN. M. JONÆ NICOLAI KYLANDRO, Diocese  
Lincop: Episcopo dignissimo, Mecenati & promotori suo omni  
observantia cultu prosequendo.

DN. M. ISRAELI OLAI, Ecclesie Lincop: Pa-  
stori vigilantiss:

DN. M. SYLVESTRO PHRYGIO, Scholæ  
Lincop: Rectori fideliss:

UT ET

Reliquis Capitularibus summa observantia colendis.

NEC NON

DN. JOHANNI NICOL: PRYTZ Eccl. Sudercop:  
Past. digniss.

DN. M. LAUREN: LAUREN: Eccl. quæ est Hærdz-  
hamar Past. vigilantiss:

DN. DANIELI LAURENT. Scholæ Suder. Rectori Ornati  
Fautoribus suis multum honorandis.

**C**Arpat ( & haud citra causam ) me Momus iniquus,  
Patroni eternâ mihi pietate colendi.

Audeo materiam vobis quod ferre prophanam,  
Ex Logicæ nimirum haustam trivialibus Hortis

Cum magis conveniat vobis res celsior, & quæ  
Fontibus ex sacris deprompta sit, atq; viretis

Hæc vestro fulgore magis res digna fuisset  
( Quæ vestra at pietas, quæ religioq; fidesq; )

Hanc confido in vobis quoq; ritè probatum;  
At tenui ut veniat, misero & submissi cliente.

EËËËË Patres igitur capite verendi hanc  
Fronte serenatâ; donec mihi nobile tempus

Præbeat hocce magis quiddam; & dignemini habere  
Me commendatum, vos qui colo jure, vicissim;

Eternum multos vos NV MEN suscipiet annos.

*D'ursum hunc Philosophicum in grata mentis  $\mu\eta\eta\mu\delta\sigma\tau\omega\nu$  &  
observantia debita  $\tau\eta\mu\eta\epsilon\sigma\tau\omega$*

*Offert, Dicat, Consecrat,*

LAVRENTIUS ERICI Sudercop.

## Prooemium.



Contemplati haectenus in parte Logices speciali sumus syllogismum demonstrativum, & quæ ejus species & requisita sint, vidimus: consideravimus deinde etiam syllogismum topicum sive Dialecticum, qui probabiliter in utramq; partem concludere dicitur, & quo modo, quibusq; instrumentis Dialecticus suum finem nimirum veritatem sive assensum probabilem, assequi possit, eadem vice tradidimus. Nam cum materia, circa quam haectenus versati sumus, sit in duplici differentia, vel summè necessaria, cujus scientiam, vel probabilis sive contingens, cujus opinionem venamur, utiq; & ipse syllogismus, quo tanquam instrumento ad hosce duos fines nim: scientiam & opinionem obtinendam utimur, duplex constituendus videtur, unus qui circa materiam necessariam occupatus sit & vocetur demonstrativus, alter qui materiam probabilis applicetur, & nominetur probabilis sive Dialecticus. Sed quia hisce duabus rationibus Logicus, qui ad omnem disciplinam, ejusq; objecti veritatem indagandam & inveniendam instrumenta conficere debet, suum finem nondum consequi & adipisci potest, sed interdum circa materiam quæ nec summè necessaria, nec probabilis, sed planè falsa est, versari cogitur; ideò & tertia species syllogismi materialis, videlicet ea, quæ circa falsam materiam occupetur, constituenda videtur. De hujus itaq; syllogismi constitutione hac exercitatione ultima præcipiemus. Nam sicut necessaria contingentibus, atq; vera falsis præstantiora censetur; ita etiam syllogismus materiam necessariam immersus, ei qui continenti



genti applicatus est anteponendus, & ille qui contingenti  
materie astrictus, ei qui cum falsa complicatus est, antefe-  
rendus videbatur.

### Theorema Primum.

Syllogismus sophisticus est, oratio, quæ  
constat & constructa est ex falsis, sed speciem  
veri habentibus.

I. Expeditis hæcenus cum Philosopho Aristotele ijs syllogismi  
speciebus, quæ in materia necessaria & contingenti occupata sunt,  
& ab ipso duobus libris Poster: analyt: & octo topicorum expli-  
cantur; consequens jam esse videtur, ut cum eodem ad eam quæ  
materie astrictus est falsa syllogismi speciem progrediamur.  
Dicitur autem & inscribitur hæc syllogismi tractatio varijs  
modis. Primò enim doctrina fallaciarum, quod nim: contineat &  
exhibeat præcepta, quibus admoniti studiosi veritatis, falsitatem  
quæ speciem veri præ se ferre solet, fugere & aversari possunt, ap-  
pellatur, Aristoteles deinde hunc tractatum, de reprehensionibus  
sophistarum nominat, eo videlicet consilio, quod hujus admini-  
culo sophistas & veritatis obrectatores redarguere & repræhen-  
dere possimus. Erat itaq; hujus doctrinæ usus & utilitas, præsertim  
hoc nostro seculo, maxima, dum multi veritatis potius osores &  
suppressores, quam studiosi & promotores inveniantur. Colligitur  
deinde ex his etiam doctrinam fallaciarum hic non proponi, ut per  
eam fallere, & alios, ut quidam gannunt, decipere, sed uti dictum,  
ut falsa illius beneficio & monitis fugere & vera apprehendere pos-  
simus. Afferimus deinde etiam hunc de sophistico syllogismo tracta-  
tum, non esse supervacaneum, ut stolidâ Ramæorum caterva o-  
pinatur, sed maximè utilem, & omninò necessarium. Cum non  
satis

satis sit nosse, quid sequi debeamus, nisi etiam qua fugienda sint agnoscamus. Et quemadmodum, ut ait ille, cecutientibus oculis facile est imponere, & alia pro alijs demonstrare: ita etiam humana menti, si non omnimoda cecitate, certè lippitudine gravi, facile nimis illuditur, ut ei pro veris falsa, pro certis incerta, pro probabilibus improbabilia obtrudantur. Nec movet nos ridicula Ramaeorum objectio, quando dicunt, verum sui & obliqui inditem esse. Daremus enim & concederemus hoc ipsum Ramæ libenter, nisi interdum imò sapissimè obliquum sub recti specie se animis insinaret. Concludimus itaq; adversus Ramæos & eorum contra hunc tractatum objectiones omnes, modo sequenti: Quodcumq; jurat intellectum nostrum veritatem inquirenti, & veritatem pro fine agnoscit, illud ad logicam referendum ejusq; considerationis dicendum est. Atqui doctrina hac de fallacijs talis est. Ergò ad Logicam referenda, & ejusdem considerationis dicenda est. His ita dictis facile quemvis, Aristotelem ejusq; sectatores omnes, optimo jure & consilio de hac doctrinâ præcepisse colligere statuimus. Atq; ita his præmissis, ad definitionem syllogismi sophisticæ enodandam accedimus, cujus genus, sicut apodictici & topici syllogismi, orationem & discursum mentis esse asserimus. Ad differentiam verò inculcandam, quod non ex veris demonstrativis, neq; ex veris probabilibus, sed planè falsis & speciem veri habentibus constet, dicimus. Addimus deinde, omnino necessarium fuisse, quid syllogismus sophisticus sive falsus sit hic inculcare. Non enim potuimus illius falsitatem ostendere & agnoscere, nisi primum quid ipse sit, cognitum habeamus. Sic quando dicimus, quicquid non amisti habes: Atq; Regis Hispania divitias & opes, non amisti, Ergò Regis Hispania divitias & opes habes, syllogismus sophisticæ exemplum vobis exhibemus. Constat enim hic syllogismus ex planè falsis, quia neminem nostrum, Regis Hispanorum divitias habere arbitror, & tamen speciem veri habet: idem est quando ratiocinor ita: Omnis canis est animal: sydus cæleste est canis:

*Ergò sydus cœleste est animal: Omnis canis latrat: sydus quoddam cœleste est canis. Ergò sydus quoddam cœleste latrat. Hac & similia innumera, hanc fallaciarum solvendarum doctrinam, non cum Ramais reiiciendam, sed retinendam & in summo pretio habendam esse evincunt. Quomodo enim hasce & similes sophisticaciones solvere, si modum easdem solvendi, quem hac doctrina sola, tradit, ignoraremus possemus. Videatur Jacobus Martin. Disput. Domest. Logic. 18. thes. 1. 2. 3. 4. & 5.*

### *Theorema Secundum.*

*Fallacia vel est in dictione sive in vocabulis: vel extra dictionem, sive in rebus ipsis. Fallacia dictionis est, quando falsitas latet & consistit in vocabulis sive dictionibus; Fallaciae dictionis sunt & numerantur sex; Fallacia æqui vocationis, amphibolias, compositionis, divisionis: prosodiæ, & figuræ dictionis.*

*I. Exposito in priori theoremate syllogismo sophistico, quid sit, cuius gratia illius tractatio suscipiatur, & quasnam utilitatis se cum afferat: ideo jam & in presenti theoremate quotuplex sit fallacia seu quot modis in syllogismo Falsitas seu fallacia evenire possit, tradendum esse cognoscimus. His enim sine finem, quem nobis cum Aristotele hic habemus propositum consequi non possumus. Nam non possumus redarguere sophistas, & illorum nugas & fallacias detegere, nisi quoque quotupliciter fallacia seu falsitas in syllogismo accidat, & modum, quo dissolvi possit, cognitum habeamus. Sunt autem fallaciae sive sophisticaciones in syllogismis duplici modo*

modo spectanda. Vel in dictione, sive vocabulis, vel in rebus sive extra dictionem. Hac enim duo in omni syllogismo sunt maxime spectanda, vocabula sc. & res vocabulis significata. Non igitur poterit falsitas esse in syllogismo, quae non sit vel in vocabulis, vel in rebus vocabulis expressis. Nec moveat, quoniam à nobis hic nihil agi de vitijs seu fallacijs formae syllogisticae. De his enim in tractatu de syllogismo formaliter considerato actum satis agnoscimus. Non enim hic proprie spectamus formam syllogismi, seu syllogismum formaliter, quod etiam vitia de formis syllogismorum pertinent, sed de syllogismo materialiter considerato, & certa materia ascripto.

II. His ita praemis ad theoremati nostri majorem declarationem accedimus. Non possumus autem commodius illud ipsum declarare, quam ut illud distinguamus in tres partes generales secundum tria, quae eo continentur. Erit itaq; prima pars de divisione fallaciarum, altera de definitione fallaciarum secundum dictionem seu verba, & tertia de numero fallaciarum seu vitiorum in syllogismo quoad verba seu dictionem. De divisione igitur fallaciarum acturi, repetemus quod paulò ante diximus, & eo divisionis nostrae evidentiam ostendemus. Diximus autem in omni syllogismo (loquimur hic autem de syllogismo materialiter considerato, non verò formaliter. Aliàs enim plura in quolibet syllogismo consideranda & spectanda venirent) duo respicienda esse, verba sc. & res de quibus verba seu vocabula illa agunt. Ex his enim duobus omnis syllogismus quoad materiam consideratus constare potest. Sic exempli causa, quando argumentamur ita: Quodcumq; quis videt illud videt, Atqui lapidem quis videt. E. lapis videt. In hoc syllogismo quoad materiam, de qua sola hic nobis sermo est, duo solum colligimus spectanda, vocabula & res vocabulis istis expressas. Si ergò quadam falsitas seu fallacia huic & similibus syllogismis inesse & accidere debet, fiet hoc ipsum certè horum duorum respectu, vocabulorum sc. & rerum. Nihil enim aliud hac in parte in  
syllogismo

sylogismo venit considerandum. His ita suppositis optimam Aristotelis lib. 1. de sophisticis Elenchis cap. 3. & nostram in theoremate propositam fallaciarum divisionem esse concludimus. Habet enim fundamentum in ipsa de qua agit & precipit re. Nulla enim alia falsitas sylogismo hoc respectu accidere potest. Hinc itaq; tali modo argumentamur: Quot modi sunt, quibus sylogismus fallacia inesse possunt, tot etiam modi easdem tollendi sunt constituendi. Atqui sunt duo saltem modi, quibus fallacia sylogismo accidere possunt. Ergo etiam duo modi easdem solvendi, erunt constituendi. Plura de hac divisione, videantur, apud Aristotel. lib. 1. de Sophist. Elench. cap. 3. Francisc. Titelm. lib. 6. Log. cap. 5. Jacob. Martin. Disputat. Domest. Logic. 18. thes. 12.

III. Atq; tantum de prima theoremati nostri parte, de divisione fallaciarum precipiente sequitur jam altera de fallacia secundum dictionem seu vocabula definitione agens. Dicimus autem in thesi nostra fallaciã in sylogismo quoad dictionem esse, quando falsitas non in rebus, de quibus sylogismus agit, sed in vocabulis, quibus res exprimuntur, accidit, qua definitione nihil aliud exprimere volumus, quam quod fallacia dictionis consistat in uno eorum, qua superius in sylogismo spectari diximus, videlicet vocabulis. Vocabulorum siquidem maxima in sylogismis habenda est ratio, dum ijs res exprimuntur, & maximè ambigua sint, nec unam eandemq; significationem semper retineant, sed variè interdum accipi, & significare possint. Videmus enim sepius propter solam vocabulorum ambiguitatem & variam significationem doctissimos Philosophos in multos errores esse inductos. Sylogismi itaq; quoad dictionem sive vocabula falsi, exemplum adducimus tale: Jus est ars boni & equi. Atqui servitus est jus, & servitus est ars boni & equi. In hoc sylogismo est fallacia sive falsitas quoad dictionem sive vocabula. Non enim una eademq; vocabuli juris in utraq; premissarum est significatio. In priori enim propositione vocabulum juris denotat integram aliquã disciplinam sive totam

totam jurisprudentiam, in secunda verò unam saltem ejusdem  
particulam qua de controversiis forensibus agit, significat. Idem  
quoque accidit in hoc syllogismo. Ars est habitus vera cum ratio-  
ne effectivus. Atqui Logica est ars. Ergo Logica est habitus vera  
cum ratione effectivus. In hoc syllogismo falsitas accidit ratione  
vocabuli artis, quod modò generaliter pro quovis animi habitu, mo-  
dò specialiter pro eo saltem habitu, cujus beneficio formam acci-  
dentalem in materiam externam beneficio corporeorum instru-  
mentorum introducimus, accipitur & sumitur.

III Expediã ita theorematis nostri parte secunda, sequi-  
tur jam tertia & ultima de numero fallaciarum in vocabulis, &  
de qualibet harum in specie, precipiens. Facimus autem sex spe-  
cies fallaciae secundum dictionem seu vocabula, sc. equivocationem,  
amphiboliam, compositionis & divisionis, fallaciam accentus  
& figurae dictionis sophisticationem. Hujus autem numeri evi-  
dentiam sequenti demonstramus ratione: fallacia quoad dictionem  
sive vocabula, vel oritur ex unico quodam vocabulo plura signi-  
ficante & ambiguo, & oritur equivocationis: vel est in integra  
aliqua oratione & propositione & oritur amphibolias; vel conjun-  
gimus ea vocabula, quae non erant conjungenda, & surgit compo-  
sitionis, vel dividimus ea quae non erant dividenda, & divisionis  
provenit; vel fallimus confusione accentuum & alia ratione quae  
ad prosodiam spectare videtur, & accentus, vel ludimus ex si-  
mili vocabulorum appellatione, & figurae dictionis efficitur  
fallacia. Atque tantum de evidentia numeri fallaciarum secundum  
dictionem: sequitur jam ut de qualibet fallacia in specie agamus,  
& primò quomodo constituantur, per exempla, & deinde quomodo  
dissolvi debeant, precipiamus. Auspicabimur autem primò à  
fallacia equivocationis enodatione, hujus enim tractatio reliqua-  
rum considerationi, dum semper à simplicibus ad composita pro-  
grediamur, praemittenda videtur. Est itaque fallacia equivocatio-  
nis quando non una eademque in utraque propositione, sed varia &  
ambi-

ambigua mediij termini surgit, significatio. Colligitur ex his, fallaciam equivocationis esse modum decipiendi per vocabula ambigua & equivoca. Cum autem in omni syllogismo sint tres tantum termini, dicimus quod equivocatio consistat in medio. Is enim solus bis ante conclusionem repeti & poni solet. Syllogismi autem quoad medium terminum Sophisticum exemplum ponimus tale: *Vulpes est animal habens quatuor pedes. Atqui Herodes est vulpes. Ergo Herodes habet quatuor pedes.* Hic videtur ambiguum & equivocum esse vocabulum *Vulpis*, atq; sic ex illo, quia mediij termini vices in hoc syllogismo supplet, fallaciam provenire. Solvitur autem hac & omnes hoc modo affecta fallacia ratione sequenti: *Negatur consequentia in hoc syllogismo, quia sunt quatuor termini in eo, Aliter enim vulpu vocabulum in majori propositione, aliter in minore accipitur. In priori vero accipitur proprie pro animali irrationali, quatuor pedes habente: in posteriori vero improprie & saltem pro aliquo homine, qui non est vulpes proprie dicendo, sed propter astutiam vulpi, simili & conveniente. Eadem in omnibus syllogismi tam constitutionis quam dissolutionis habetur ratio, atq; sic hac specie, tanquam satis declarata ommissa, ad alteram eodem modo explicandam progredimur. Est autem altera species fallacia, amphibolia, quae est & accidit quando vitium in integra aliqua oratione consistit. Dicimus quod fallacia amphibolias sit, quando vitium accidat in aliqua oratione; quibus verbis innuere volumus, amphiboliam esse modum decipiendi, per orationem multas & varias significaciones habentem. Non enim in sola aliqua voce ambiguitas, sed etiam in integra aliqua oratione, ex vocibus suis composita fallacia accidere & esse potest. Differt itaq; fallacia equivocationis ab hac amphibolias (sophisticatione, quod illa in unico aliquo vocabulo, haec vero in integra aliqua oratione consistat. Exemplum autem Amphibolias ponimus tale: *Quisquis arat litus, curvo profcindit terram aratro. Atqui ille homo frustra laborans frustra arat litus. Ergo curvo profcindit ter-**

scindit terram aratro. In hoc syllogismo enim non unus aliquis terminus, sed integra oratio est ambigua, & multa significat. Major enim propositio modo proprie & pro eo qui littus arat, accipitur, modo improprie & tropicè, eum qui frustra & inaniter laborat, denotat. Solvendum itaq; hoc & huius generis sophismata & fallacia modo sequenti: distinguenda est impropria, figurata, & tropica sententia seu orationis significatio à propria & genuina eiusdem significatione. Sequitur jam tertia secundum vocabula fallacia, qua compositionis vocatur. Est autem fallacia compositionis, quando ea vocabula qua non erant conjungenda & componenda, conjunguntur & componuntur, hoc est, fallacia compositionis est modus decipiendi adversarium, per compositionem eorum qua non debent componi & conjungi, cuius exemplum erit tale: Adam fuit justus & peccator. Ergo fuit quoq; justus peccator. In hac enim oratione, in conclusione composita & conjuncta efferuntur, qua in precedenti propositione distincta proponebantur, Adamum enim & peccatorem & justum esse distincta in propositione sunt & postea in conclusione quasi essent conjungenda efferuntur. Solvitur autem hoc sophisma & reliqua hac formula prolata omnia modo sequenti: Demonstrandum est postea, ea, in conclusione conjungi, qua erant disjuncta, & disjungebantur in precedenti propositione. Sic in nostro exemplo posito, in conclusione conjunguntur, qua in propositione disjunctim proponebantur. Respondetur itaq; ad hoc, in eo committi fallaciam compositionis, quia componuntur & conjunguntur in eodem, qua non erant conjungenda. Fallacia deinde divisionis est, qua ea, qua erant conjungenda, in conclusione separat & disjungit, hoc est, fallacia divisionis est modus decipiendi alios per disjunctionem & segregationem eorum vocabulorum in aliqua syllogismi propositione vel conclusione, qua non erant disjuncta, sic quando concludimus modo sequenti, fallaciam divisionis committimus: David in Psalmis dicit, non est DEUS. Ergo credendum, nullum esse DEUM, atq; sic nullum invocandum, nullum



nullum adorandum esse. Sed respondetur ad hoc & similis generis  
sophismata, in ijs committi fallaciam divisionis verborum seu vo-  
cabulorum in aliqua propositione. In hujus enim syllogismi contex-  
tu, disjunguntur & segregantur verba Davidis, addit enim Da-  
vid & tali modo loquitur: Non est DEVS qui delectatur vitâ  
malitiosa. Coniungi itaq; debent in horum sophismatum solutione,  
qua divisa & disgregata erant. Atq; tantum de fallacijs compo-  
sitionis & divisionis, sequitur jam accentus & figura dictionis so-  
phisticatio. Est autem fallacia accentus, quâ decipere contem-  
dimus alios ex illegitimo & injusto pronunciandi modo, hoc est,  
fallacia accentus est modus decipiendi & confundendi adversarios  
per inconvenientem vel syllaba, vel spiritus, vel alterius cuius-  
dam, ad prosodiam spectantis, pronunciationem. Vocatur quoq;  
hic modus decipiendi fallacia prosodias, quo innuitur, omnia qua  
ad prosodiam spectant huc transferenda esse. Non autem creden-  
dum eo modo eadem hinc pertinere, quo ad Grammaticam, sed  
quoad intenditur veritas, qua finis Logica, ut saepius dictum,  
est adequatus. Fallacia accentus exemplum vobis exhibemus in  
sequenti discursu. Omnis populus est arbor: hominum collectio  
est populus. Ergo hominum collectio est arbor. Hoc enim in syl-  
logismo tanquam sophistico, oritur sophisticatio ex quantitate &  
pronunciatione vocabuli, populi. Populus enim prima brevi, si-  
gnificat solum collectionem multarum gentium & hominum: Po-  
pulus verò, cum primâ longâ, denotat arborem. Solvitur autem  
hoc argumentum dicendo, in eo committi fallaciam accentus seu  
prosodia. Populus enim in prima propositione significat arborem,  
populus verò in secunda significat plebem, & populus in primâ  
primam habet longam, populus verò in secunda propositione pri-  
mam habet brevem. Solvuntur itaq; omnes prosodia fallacia,  
monstrando diversa quantitate, diverso spiritu & accentu, alijsq;  
ad rem prosodia spectantibus diversis. Figura dictionis fallacia  
est, quâ decipimus alios, propter similitudinem dictionum, id est  
figura

*figura dictionis fallacia est modus decipiendi adversarios, ex similitudine duarum dictionum, inter se invicem, proveniens. Sic quando dicimus, Musa est generis feminini. Ergo etiam dogma. Musa est prima declinationis. Ergo etiam dogma est prima declinationis, exemplum fallaciae hujus ostendimus. Committitur enim hic fallacia propter similem vocabulorum, Musa & dogmatis, in nominativo, terminationem. Musa enim in A & Dogma etiam in A desinit, unde iisdem propter hanc similem terminationem quadam attribuunt, quae iisdem non erant attribuenda. Solvitur autem hoc fallaciae genus, monstrando cujusque vocabuli sive dictionis verae significatione & usu, & distinguendo inter diversas diversarum rerum classes, seu inter diversa predicamenta, & quodlibet ad proprium suum locum & genuinam sedem transferendo. Atque tantum, de fallacijs quae secundum dictionem accidunt, dicere, & in medium afferre, placuit. Plura hac de re tradit ipse Aristoteles lib. 1. de Sophist. Repræhens: cap. 3. Matth. Flac. lib. 6. Logicae general. cap. 8. 9. 10. Francif. Titel. lib. 6. Logic. cap. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. Regius Disputat. Log. lib. 5. probl. de Sophist. Elenchis. Jacob. Martin. Disput. Logic. Domest. 18. thes. 13. 14. 15. & seqq. Gregor. Horst. Institut. Logic. lib. 2. tract. 4. cap. 3. 4. 5.*

### *Theorema Tertium.*

*Fallacia extra dictionem seu vocabula est, quae non in vocabulis, sed in rebus per vocabula expressis, constit. Fallaciae extra dictionem sunt septem; fallacia accidentis, a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, se-*

B 3

cundum

cundum non causam ut causam, consequentis, secundum plures interrogationes, petitionis principij, ignorationis Elenchi.

I. Expeditis ijs fallacijs in precedenti theoremate, qua syllogismo quoad vocabula accidunt; jam de ijs, qua eidem quoad res insunt, videtur differendum. Agemus autem in hoc theoremate de duobus potissimum, videlicet fallacia extra dictionem, definitione, & de ejusdem speciebus. Dicimus autem in theoremate nostro quod fallacia extra dictionem sit, qua accidat syllogismo, non ratione vocabulorum, sed ipsarum rerum vocabulis expressarum, quibus verbis nihil aliud indicare volumus fallaciam extra dictionem esse modum decipiendi adversarios, non à vocabulis, sed à rebus de quibus syllogismus agit, desumptum. Quando enim adversarium nostrum fallimus, dicendo & affringendo, quadam rebus, qua cum ijs accidentaliter coherent, quasi essentialiter coherent, vel illam illius rei causam qua tamen revera illius causa non est, esse asserimus; vel illam rem, qua secundum quid talis est, simpliciter talem esse, concludimus, ratione rerum id facimus. Non autem asstimandum est, nos hic, quando dicimus fallaciam extra dictionem esse, qua insit rebus, innuere & asserere velle res esse falsas, seu in rebus esse falsitatem tanquam essentialiter consequens, sed falsitatem rebus saltem, accidentaliter, & ratione illius, qui illas vel decipiendi causa vel ex errore quodam confundit, inesse, & convenire. Sic quando argumentamur ita, ratione rerum decipimus; Ex quocumq; proveniunt haeretici, illud rejiciendum. Atqui ex sacris literis proveniunt haeretici. Ergo sacra litera sunt rejicienda. In hoc syllogismo est fallacia respectu rerum, non verò vocabulorum. Nam vocabulorum omnium unus idemq; in omnibus propositionibus manet tenor. Committitur autem fallacia secundum non causam, ut causam. Non enim sacra litera revera

revera sunt causa hareseos, sed perversi homines, verum sacram literarum usum in abusum convertentes.

II. His breviter de definitione syllogismi extra dictionem sophisticam pralibatis, ad ejusdem species declarandas deproperamus. Tribuimus autem & assignamus primum locum fallaciae accidentis, qua dicitur modus decipiendi, quo substantia & accidenti eadem attribuendo, fallimus adversarium nostrum, Fallaciae accidentis exemplum sit tale: Quodcumque seducit homines illud malum est. Atque Philosophia seducuntur homines. Ergo Philosophia mala est. In hoc syllogismo committitur fallacia accidentis. Attribuitur enim aliquid Philosophiae, tanquam essentiali, cum tamen eidem saltem accidentarium sit. Negatur itaque consequentia in hoc argumento dicendo ita: non sequitur, Philosophiam seducuntur homines, ergo est mala. Quia Philosophia non est essentiali, ut ea seducantur homines, sed ei tantum accidentarium, ratione illius qui Philosophiam abutitur, convenit. Sequitur nunc fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, qua dicitur modus decipiendi adversarium affirmando aliquid simpliciter ita se habere, quod tantum secundum quid & certo quodam respectu se ita habet. Fallaciae hujus exemplum adducimus tale: Naturale corpus non potest esse simul & eodem tempore & in caelo & in terra. Atque Christi corpus est naturale corpus. Ergo non potest esse simul in caelo & in terra. & sic per consequens non in sacra caena est. Sed respondendum est hunc, & hujus generis reliquos syllogismos committere fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Non enim simpliciter verum est, Naturale corpus posse saltem in uno loco esse, sed saltem secundum quid & certo respectu hac negatio procedit, sc. respectu naturae. Naturaliter enim verum est, unum corpus non posse simul esse in caelo & in terris. Sed supra & praeter naturam contrarium evenire potest, ut unum corpus virtute & omnipotentia divina, plura simul loca occupare possit.

Atque

Atq; tantum de fallacia à dicto secundum quid ad dictum simplicitur, sequitur jam sophisticatio secundum non causam ut causam, qua est modus confundendi & decipiendi, per assertionem non causæ, ut vera & propria illius effectus causa, hoc est fallacia secundum non causam ut causam, committitur, quando alicujus effectus causam adducimus non propriam, sed alienam qua illius causa nunquam fuit. Fallaciæ hujus modus est talis: Quodcumq; docet modum decipiendi alios, illud è disciplinarum numero rejiciendum. Atqui Logica docet modum decipiendi. Ergò è numero disciplinarum rejicienda est. Sed respondetur, hic committi fallaciam non causæ ut causæ, non enim Logica ipsa, sed Logica abutens modi decipiendi alios, causa est. Logica enim, sicut veritatis instrumentum est, ita etiam veritatem, & non falsitatem tanquam finem suum intendit. Potest autem Logica, uti dictum, abutiquis, atq; eâ, ejusq; instrumentis in pravum usum conversis abutiqui, atq; sic alios decipere. Hujus autem rei causa Logica dicenda est minimè, sed sophista, optima rei, optima instrumenta in pravum usum detorquens. Distinguendum itaq; in hujus Sophisti ationis reprehensione semper inter illam rem, qua illius effecti vera causa est, & inter illam, qua causa quidem videtur, sed nulla ratione causa est & esse potuit.

Atq; tantum de fallacia non causæ ut causæ, sequitur jam in ordine fallacia sive sophisticatio consequentis. Est autem fallacia consequentis modus decipiendi alios, dicendo conversiones propositionum in hac sophisticacione adhibitaram esse reciprocas, cum tamen non sint tales: exemplum fallaciæ consequentis cum Aristotele efficitur & ponimus tale: Qui laborat febre præter naturali calore est præditus. Ergo omnis qui præter naturali calore est præditus laborat febre. Hic enim uti videtis, fingitur reciprocatio propositionum, qua tamen inter ipsas revera non est. Non enim sequitur omnis febre laborans habet calorem in se præter naturam. Ergò qui calorem in se habet præter naturam statim laborat

borat febrī. Potest enim alia ratio reddi ob quam homo calore  
prater naturali sit præditus. Committitur itaq; fallacia consequen-  
tis, in hoc sophismate, propositiones siquidem in eo producuntur &  
efficiuntur reciproca, quæ tamen tales non sunt. Atq; hoc modo sol-  
vendi sunt omnes modi decipiendi in hac specie fallaciarum rea-  
lium, monstrando nim. & dicendo, consequentiam seu reciproca-  
tionem quæ præsupponitur esse, non revera esse talem, sed saltem  
fingi. Expositâ fallaciâ consequentis, succedit sophisticatio  
quæ dicitur, & committitur, quando dua vel plures interrogatio-  
nes sub nomine unius alicujus interrogationis ad respondendum  
offeruntur. Sic quando quarimus, an Logica sit habitus, ane sit  
ars, quia est habitus, ane ergo etiam comprehensio præceptorum  
in libris contentorum, fallaciâ secundum plures interrogationes  
committimus. Non enim unus idemq; questionum manet sensus  
& finis. Longè enim alia est ratio questionis quando quarimus,  
in prima questione an Logica sit habitus, ane ergo etiam sit ars.  
In prima enim quarimus de Logica ane talis sit habitus qui de-  
notet habitum aliquem principalem, in sola animo non verò in li-  
bris contento, in tertia deniq; alia ratione de arte Logica sumus  
solliciti. Respondendum itaq; ad hujus generis fallacias, distin-  
guendo primò interrogationes à se invicem, & cujuslibet sensum in-  
dicando, & deinde ad quamlibet questionem sive interrogationem  
& quemlibet earundem sensum distinctè respondendo. Atq; tan-  
tum de fallacia plurium interrogationum: Sequitur itaq; ut de  
fallacia petitionis principij præcipiamus. Est itaq; fallacia petiti-  
onis principij, quando idem & aequè ignotum per idem & aequè  
ignotum & infirmum probare & confirmare contendimus. Hu-  
jus fallaciæ exemplum ponimus in sequenti discursu: Logi-  
cæ genus est ars, quia est comprehensio præceptorum verorum,  
in libris contentorum. Hic enim aequè ignotum & absurdum  
per simile aliquod ejusdem absurditatis corroboratur. Non  
enim verum est Logicam esse, seu Logica genus esse comprehen-  
sionem

tionem praeceptorum in libris contentorum, nec verum est Logicam esse artem. Logica enim, ut accidens, non est in libris comprehensio praeceptorum, sed est & consistit solum & nussiam alibi quā in animo hominis, tanquam proprio suo subjecto. Nec comprehensio praeceptorum potest esse genus Logica, quia conveniret hac ratione cum artibus Mechanicis & sordidis quoad genus, quod absurdum. Nec igitur per hoc quod ars Logica sit probari potest. Ars enim introducit formam externam in materiam beneficio corporeorum instrumentorum, quod à Logica & Logico est remotissimum. Respondendum itaq; ad hujus loci fallacias, & eadem solvenda sunt, monstrando, utriusq; ignoti & absurdi, absurditatem & ignorantiam. Hac itaq; sophisticatione explanatā, sequitur ignorantia Elenchi, fallacia. Dicitur autem fallacia ignorantia Elenchi, quando aliqua conditio quae in fallaciā adesse debet, desideratur. Exemplum ignorantia Elenchi ostendimus tale: Qui visu praeditus est, videt, Atqui dormiens visu praeditus est. Ergo dormiens videt & non videt. Sed respondetur ad hoc & hujus generis fallacias omnes, committi fallaciam ignorantia Elenchi. Non enim idem affirmatur & negatur de eodem, respectu eodem, Quod tamen in omni sophisticatione seu syllogismo sophistico accidere & fieri debet. Non enim in posita sophisticatione visus & ejusdem negatio, affirmantur & negatur de eodem respectu eodem. Nam quamvis dicatur quod dormiat quis, & sic exiguo aliquo tempore non videat, non tamen exinde sequitur & inferitur quod nunquam videat. Atq; haec de fallaciarum doctrina vulgari, pro instituti nostri ratione in medium producere placuit. Pleniorē autem hujus partis materialis tractationem qui exigit & desiderat legat, ipsum Aristotelem lib. 1. & 2. de Repraehens. Sophist. Matth. Flacium Log. cae general. lib. 6. cap. 11. 12. 13. & seqq. Regium disputat. Logic. lib. 5. probl. de Sophistic. Eleuch.

Theo-

*Theorema Quartum.*

Methodus generaliter & latè accepta, est Instrumentũ Logicum secundariũ ad cognitionem rerum nobis comparandam, plurimũ faciens. Methodus generaliter ita accepta, dividitur in ordinem, & Methodum propriè sic dictam. Ordo est instrumentum Logicum, cujus beneficio res in disciplinã aliquã subiectas, ante, vel post, melioris nostræ cognitionis causã, collocamus.

I. Posuimus hæctenus, annuente & benedicente altissimo, nostram operam, in enodandis instrumentis veritatis primarijs, quæ, syllogismus & ad eum spectantia perhibentur esse, atq; sic, ea quæ in amplissimo & copiosissimo organo Aristotelici corpore, copiosè & prolixè proponuntur, in unum aliquod breviter contraximus, atq; sic eadem pro ingenij nostri tenuitate, & instituti ratione, vestris oculis & animis subiecimus. Jam autem, quia Aristoteli animus fuerit saltem ea Logica sive veritatis inquirendæ instrumenta, quæ vulgò primaria, appellantur, omissis interim secundarijs, quæ ordinis & Methodi nomine vulgò veniunt, in organo suo exhibere & illustrare; itaq; quod de Methodo & ordine nihil ex professo præceperit, ab adversarijs divexari & imperfectionis argui mininè poterit. Quia tamè non vulgare studiosis veritatis fructũ, aliqualem Methodi & ordinis cognitionem habere, est allaturum; ideo in illorum gratiam, horum instrumentorum secundariorum, rudem aliquam & brevem tractationem, in qua eorundem naturam paucissimè sumus declaraturi, hæc coronidis loco institue-



emus. Dicimus itaq; in theoremate nostro quod Methodus sit instrumentum Logicum, quibus verbis nihil aliud indicare volumus, quam Methodum habitum instrumentalem esse, cujus beneficio ad rerum veritatem possimus pervenire: Dicimus deinde quod sit Logicum instrumentum secundarium, quibus verbis Methodi à reliquis instrumentis differentiam innuere volumus. Dicimus deniq; quod sit tale instrumentum, quod plurimum ad res cognoscendas conferat, quibus verbis itidem, hujus instrumenti finem cujus gratiã inventum sit, nim. veritatem rerum, exhibere vobis volumus. Sicuti enim totius Logica finis ultimus & unicus est rerum veritas: ita etiam eadem omnium ejusdem instrumentorum finis est constituenda. Non dubitandum deinde etiam est, de hujus instrumenti dignitate & utilitate. Nulla enim disciplinarum sine hujus ope & auxilio recte tradi, percipi & diu salva consistere potest. Est deinde Methodi vox origine græca & Metaphorica Metra enim circa, & ὁδός, viam significat. Nam quemadmodum circa viam solent poni quidam indices, quibus adjuti viatores, eò melius suum iter & cursum absolvere, & ad optatam metam, quo tendebant pertingere possunt: ita etiam, ijs, qui in via & cursu veritatis, & bonarum artium & disciplinarum currunt, methodus, tanquam index & adjumentum aliquod, cujus adminiculo eò citius ad eruditionis fastigium, tolli & suum cursum in via philosophica absolvere possint, constituta & inventa est. Indicamus deniq; vocabulum methodi, non unam eandemq; significationem semper retinere, sed interdum generaliter, interdum verò specialiter accipi & usurpari. Generaliter enim quando accipitur vocabulum Methodi, tunc & ordinem & Methodum simul denotat & significat, quæ tamen duo instrumenta si propriè & specialiter accipiantur, sunt distincta & à se invicem aliena. Atq; tantum de definitione, varia significatione, & origine Methodi generaliter & communiter usurpata; sequitur itaq; jam, ut de ejusdem divisione eodem modo dicamus: Dicimus itaq; in theoremate nostro metho-

dum

Methodum dividi, in ordinem & Methodum specialiter sic dictam. Quatenus enim Methodus, uti dictum, generaliter usurpatur, videlicet, pro instrumento ad veritatem rerum indagandam hominibus inserviente, eatenus etiam in hasce duas species dividitur. Dicimus autem in thesi nostra, quod ordo sit instrumentum Logicum, cujus beneficio res in disciplinâ aliquâ subjectas, ante, vel post, melioris cognitionis nostrâ causâ collocemus, quibus verbis exprimerere volumus, ordinem esse tale instrumentum cujus admonitione & auxilio, eas res quæ in aliqua disciplina generaliores sunt & ad reliquarum cognitionem faciunt, ab ijsq; præsupponuntur priori, & illas quæ magis specialiores sint, & per priores cognoscuntur, easq; tanquam priores præsupponunt, posteriore loco esse collocandas & ponendas. Sic quod in physicis primò auspicamur à corporum naturalium principijs, & affectionibus tanquam generalibus & ex ijs ad composita, tanquam specialiora, descendimus, lex & munus hoc est ordinis. Ordo enim jubet ut à generalioribus & prioribus, ad specialiora & posteriora in scientijs descendamus & progrediamur. Principia enim corporum naturalium sunt priora ijs corporibus ex ijs compositis, & etiam prius cognoscuntur & ad corporum naturalium cognitionem faciunt. Sic possemus ordinis usum & rationem in quibuslibet disciplinis, nisi instituti nostri nobis habenda esset ratio, demonstrare & explicare. Relinquimus itaq; hanc generalem ordinis tractationem tanquam satis notam & ad specialem quæ de ordinis speciebus agit, deproperamus.

### Theorema Quintum.

Ordo est duplex: Syntheticus sive compositivus & analyticus sive resolutivus: Ordo Syntheticus sive compositivus, est instrumen-

tum Logicum, cujus ope, in disciplinis sive scientijs, initium faciendo à principijs, & ita ad ea, ex jis composita, descendendo, propter faciliorem nostram cognitionem, res tractamus. Ordo analyticus sive resolutivus est instrumentum Logicum, quo adjuti, disciplinæ alicujus partes ita disponimus, ut incipiamus à fine, & deinde ad media seu causas, quarum beneficio illū finem obtinere possumus, facili- oris nostræ cognitionis gratiâ, progrediamur.

I. Notum est Logicam esse tam theoreticam, quam practicam Philosophiæ partem instrumentum, & Logica beneficio illarum partium objecta nos melius & citius, quàm si ea essemus destituti, posse inquirere & cognoscere. Notum deinde etiam est theoreticam Philosophiæ partem circa res necessarias, practicam verò circa contingentes esse occupatam. Ex quibus colligimus ordinem, qui utriusque partem instrumentum est, duplicem quoque constituendum esse. Non enim una eademque est rerum contingentium & necessariarum, sed longè ab invicem diversa & distincta natura; atque sic pro diversitate rerum, diversitas quoque ordinis exoritur. In disciplinis deinde theoreticis finem habemus nobis propositum, cognitionem, in practicis verò actionem, atque sic ex horum finium diversitate, diversitas ordinis ostenditur. His ita præsuppositis dicimus ordinem compositivum locum habere in disciplinis speculativis, ut Metaphysicâ, physica & Mathesi, In his enim disciplinis ordo, ut à principijs prioribus, & generalioribus, ad principia posteriora, & specialiora, progrediamur requirit, atque exinde dicitur compositivus ordo, quia docet procedere à simplicibus ad composita.

*sita. Ordo deinde analyticus locum habet in disciplinis practicis. In  
is enim finis, est actio. Non possumus autem agere propter finem,  
nis prius quisnam finis, propter quem agimus, sit cognitum habea-  
mus. Ideo ordo analyticus jubet ut in disciplinis practicis à fine in-  
cipiamus, atq; sic finis doctrinam reliquis proponamus, & ab ejus  
consideratione ad media, quibus illum finem consequi possumus pro-  
grediamur. Habet ideoq; hac ordinis species in Ethica, Politica, &  
Oeconomica locum. Hæ enim disciplina à cognitione finis ad media  
quibus finem obtinere valemus, procedunt. Atq; tantum de ordinib.  
specialibus; sequitur itaq; jam, ut de Methodo specialiter accepta  
pauca subjiciamus.*

#### *Theorema Sextum.*

Methodus specialiter accepta est instru-  
mentum logicum, cujus beneficio unum ex  
altero inferimus: Methodus in hac signi-  
ficatione est duplex; synthetica sive com-  
positiva; & Analytica sive resolutiva: Me-  
thodus synthetica est, quâ in disciplinis theo-  
reticis, unum ex altero inferimus: Methodus  
verò analytica dicitur, quâ in disciplinis pra-  
cticis, unius, ex ratione alterius, illationem  
probamus.


I. *Expeditâ ordinis naturâ; ad Methodi specialiter accepta,  
enodationem accedimus. Ordo enim Methodo hac in parte prior est;  
quia respicit totam disciplinam constituendam, Methodus verò di-  
sciplinam jam constitutam, & ejusdem unius particula, ex ratione  
alterius, connexionem & illationem probat. Quia verò alia est ra-  
tio connexionis & illationis unius particula per alteram in discipli-  
nis*


*nis theoreticis; alia quoque in disciplinis practicis, ideò etiam duplex Methodus, quæ in utraq; Philosophia partè, connexionis rationem redderet, ponenda erat. Dicimus autem in thesi nostra Methodum specialiter acceptam esse tale instrumentũ, cujus adminiculo unum ex altero inferamus, quibus verbis indicamus Methodũ esse tale instrumentũ, cujus ductu, unius alicujus particula artis, cũ altera connexionẽ probamus; Sic quando in Ethica unius virtutis cum alterius virtutis tractatione connexionẽ demonstramus, Methodi beneficio hoc ipsũ præstamus. Atq; sic in omnibus disciplinis, quando unius particula cum altera connexionẽ demonstramus, Methodi dignitatẽ & utilitatẽ agnoscimus. Dicimus deinde in thesi nostra Methodũ esse duplicem: Compositivã & resolutivã: Compositivã dicimus esse, cujus beneficio, partiũ in disciplinis theoreticis connexionẽ demonstramus; Sic quando in Physicã actũ principijs, corporũ naturalium externis, ipsdem internorũ considerationẽ subjiciendam esse, demonstramus, secundũ Methodi leges compositivã hoc ipsum præstamus. Sic similiter, quando partiũ in Metaphysicã, Arithmeticã, Geometriã, alijsq; disciplinis Mathematicis, connexionẽ evincimus, Methodi leges syntheticas observamus & colimus. Dicimus deinde Methodũ Analyticam esse instrumentũ Logicum, quo in disciplinis practicis, unius, ex ratione alterius, illationẽ probemus, quibus verbis ostendere laboramus, Methodũ analyticã esse instrumentũ veritatis, cujus beneficio partiũ inter semet, in Ethicã, Politicã & Oeconomicã, connexionẽ, probemus. Sic quando, enodatã naturã summi boni, mediorũ ad illũ finem ducentiũ, tractationẽ ei subjiciendã, esse dicimus, de Methodo analytica leges & præcepta, observamus. Atq; hac de Methodo, & ordine breviter allata, pro instituto, sufficiant. Atq; sic etiã, Disputationibus nostris Logicis, quas annuente & benedicente Domino, incepimus, eodẽ etiã, grati, benedicente & favente, ultimam manum imponimus AMEN.*

COROLLARIA.


- I. An doctrina, de fallacijs sit utilis & necessaria? Aff.
- II. An Ramus justè doctrinam sophisticam neglexerit? N.
- III. An doctrinã fallaciarum in logicis tradenda? Aff.











306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione effectus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document